

GR. 192. (29)
*de Latina Bibliothecae versione
per Luthicum facta.*

Yd
2673

ACTVM ORATORIVM
ALTERI
FESTO SECVLARI
REFORMATIONIS
A DEO
PER LVTHERVVM FACTAE
SACRVM
INDICIT
ET
AD BENEVOLE AVDIENDVM
EA QVA PAR EST RATIONE
INVITAT
M. LVDOV. CHRISTOPHORVS BLOSSIVS
S. N. S. R.

NVMBV RGI,

Typis BALTHASARIS BOSSE GELII, *Typogr. Privileg.*





Q. R. E. F. Q. S!

Stud in tempus per DEI gratiam referuati sumus, quo festum seculare celebramus, quale nos nec unquam celebrauimus, nec celebraturi sumus in posterum. Iubilaeum illud est alterum ecclesiae Lutheranae. Istum enim diem viuendo salui attigimus, quo, duobus ante seculis, vir DEI, beatus LVTHERVS, non suo consilio & aliorum suasu hominum, sed diuino fato & ductu, arduum istud opus aggressus est, quo ecclesiam, successu non infelici, in melius formauit. Maius igitur bonum cum a DEO ter optimo terque maximo nobis dari non potuisset, quam salutaris restitutio verae religionis, quippe quae aeternam parit salutem: nos maximo hoc festo, quod in secularem memoriam tanti beneficii, & benigne collati & benignius conseruati, pie celebratur, tantas ei laudes gratiasque merito congeramus, quantas vnquam egimus. Omnes, quibus pietas curae & religio cordi est, pium religionis zelum laudant, pro quo gloriosissimus Elector, IOHANNES GEORGIUS II, anno superioris seculi sexagesimo septimo instituit festum, vt vocant, Reformationis, singulis annis debito cultu agendum. Quidni istius Reformationis diem natalem, post integra secula reuersum, nos maiori solennitatum sacrarum apparatu excipiamus, atque inter publicas gratiarum actiones piasque preces hilares agitemus? Quid? quod pietas commendatur Johannis Bugenhagii, pro qua festum in memoriam translationis Bibliorum, per Lutherum factae, in-

instituit, intra priuatos parietes cum amicis & domesticis suis celebrandum. Lutherus enim cum ex fontibus Hebraicis & Graecis Biblia in Germanicam transferret linguam, inter alios sacri laboris socios adhibuit Bugenhagium, sanctae linguae maxime peritum. Diem igitur, quo operi versionis felix imponebatur finis, Bugenhagius sacrum esse voluit, annisque singulis sancto cultu excepit reuertentem; & post gratias DEO peractas amicis parauit conuiuium, natalem quasi translationis in timore DEI celebraturus. Rem omnino fecit imitandam potius, quam reprehendendam. Inter maxima enim opera, quae in emendanda ecclesia Megalander noster praestitit, non minimum est laudatissima illa Bibliorum translatio Germanica. De immensa eius vtilitate, quam & propagandae & tutandae religioni dudum praestat, nulla iam faciemus verba: cum inter omnes constet, per eandem ad praeceptum Apostoli effectum esse, vt copia verbi diuini largior apud nos detur. De praestantia vero eiusdem versionis viri maximi, & philologiae sacrae peritissimi, non nisi magnifice loquuntur. Princeps Anhaltinus, GEORGIUS, illustrissimus ille Theologus, non dubitauit asserere, (*in Conc. 2. de falso prophetis.*) Germanicam Lutheri versionem tam claram & perspicuam esse, loquique Lutherum in lingua Germanica tam aperte & clare, vt eius verba Germanica longe clariorem lucem de se spargere deprehendantur, quam aliorum ingentia commentaria in Scripturam sacram: idque omnes doctos & intelligentes existimatores vno quasi ore fateri, necesse habere. Quorum vero existimatorum intelligentissimorum testimo-



nia prolixo ordine recensere, instituti nostri ratio non permittit. Quare ex pluribus, & recentioribus, vnum adducemus, B. Augustum Pfeifferum, magnum & Theologum & Philologum, cuius ipsa verba, quae in disputatione de Henoch, II. 9. habet, digna sunt, quae legantur: *Apud nos aucta Lutheri translatio in eo est pretio, ut ipsi ob deuotione primas ex omnibus deferamus. Ille solus phrasas exprimere phrasibus & voluit & valuit. Verbum reddere verbo mediocri ingenii opus est.* Quare optime iudicauit vir optimi iudicii, illustri Seckendorffius, (in Hist. Luther. Lib. 1. p. 205.) *immortales laudes Luthero debere Germaniam, quam, si nihil aliud unquam ei praestitisset, vel hoc vno translationis Bibliorum labore, tanto beneficio affecit, quale nullum per omnia retro secula post coeptam Evangelii praedicationem illi contigit, aut in posterum sperari potest.* Sed quorsum spectat haec Bibliorum Germanicorum commendatio? quorsum? vt Bugenhagium non tantum tueamur, qui in memoriam ipsorum ferias instituit solennes, sed vt doceamus etiam, quantas DEO nos optimo gratias debeamus, hoc ipso festo persoluendas, quo memoriam totius Reformationis, per Lutherum factae, recolimus. Translatio enim Scripturae sacrae si meretur, sicut omnino meretur, vt festum hoc nomine instituat peculiare: quot, quae-so, dierum supplicationes DEO immortalis pro vniuerso Reformationis opere decernendae sint ad laudes ipsius celebrandas? Verum enim vero si gratiae mentis officia non pro ea, quam debemus, dignitate praestare possumus; pro ea tamen, qua poterimus, pietate soluemus: cum piam mentem benignissimus DEVS respiciat, si vires ipsae desint.

Priusquam vero Senatum Populumque litteratum nos inuitemus ad solennitates, & tanto festo & tantis per-

personis haud satis dignas, quas schola nostra, quae maxima etiam reformatione indiget, pro viribus exiguis parat: quaedam etiam de Latina beati Lutheri versione Bibliorum in medium proferemus. Rem sane faciemus nec a celebritate huius festi, nec a laude Lutheri alienam. Ista enim Latina Bibliorum translatio aequae, ac Germanica, haud parum attulisse videtur, ut opus Reformationis proficeret: cum eum in finem, ut praefatio docet, sit edita, ut cultoribus sacrarum litterarum facilius aperiretur aditus ad ipsos fontes, ex quibus veritas melius hauritur. Lutherus etiam tantum studium in ea perficienda praestitit, ut sicut maximam laudem ex Germanica, ita haud parvam ex Latina versione sit consecutus. Accedit, quod speramus, haud ingratum fore pluribus, si nonnulla de Latina Bibliorum versione per Lutherum facta recensuerimus. Ipsi enim non solum copiam, sed notitiam quoque rariorem esse factam, testantur viri in re litteraria versatissimi. Joh. Melchior Krafftus, Pastor & Insp. Hufum., in Prodomo Hist. Vers. Germ. Bibliorum, p. 40. versionem hanc inter rariores libros refert, & trium saltem in Germania, ac duorum in Gallia repertorum exemplarium, mentionem facit. Verum ex Miscellaneorum Lipsiensium Observatione XCII, quae autorem habet Virum maxime-reuerendum, quem honoris causa nominamus, Joh. Martinum Schamelium, ecclesiae nostrae Pastorem primum & scholae Inspectorem meritissimum, nos didicimus, in ipsius etiam Bibliotheca inter libros rariores asseruari. Petimus igitur ab Ephoro & Patrono nostro honoratissimo, facileque impetrauimus, ut rario-

rem hunc codicem in dies nonnullos nobiscum benigne communicaret. Cum cuius etiam pace nos nonnulla, quae excerptissimus, loca, ex quibus de dignitate & praestantia huius versionis iudicari poterit, proferemus, si prius de historia eius pauca dederimus. Ex pluribus argumentis, quae pro commendanda & vindicanda ista versione Krafftus affert, hoc unum adducemus, quod §. 4. habet, ubi probat, eam ipsam a beato Lutero inter libros a se editos referri in catalogo scriptorum suorum, quem & ipse adhuc viuus per Johannem Lufft, Wittebergae, anno 1533 typis curauit publicandum. Prodiit vero ista Latina Versio anno 1529 in folio, quod vocant, minori, & impressa est per Nicolaum Schierleizium, uti sub fine libri quarti Regum legitur, qui finem facit veteris Testamenti. Non omnes enim libros veteris Foederis exhibet, sed, uti ex ipso statim titulo conspicitur, Pentateuchum saltem, librum Iosuae, librum Iudicum & IV. libros Regum; nouum autem Testamentum habet integrum. Studio praetermissos esse caeteros, quod nec tempus nec otium, quae in conficiendis versionibus maxime requiruntur, Lutero suppetebant, clare apparet ex verbis praefationis, quae haec sunt: *Quaquam autem in tanta occupationum varietate, non potuimus iustam operam in hanc rem collocare, tamen non dubitamus, quin magnam lucem attulimus huic parti, quam nunc edimus. Noua versio requirit altissimum otium & tempus.* Constat etiam ex Historia (v. Seckend. Luth. I. 204.) Lutherum eo tempore nondum Germanicam versionem omnium librorum V. T. absoluisse; quomodo igitur integram Latinam potuisset dare, de qua adornanda minus erat sollicitus, quam de
Ger-

Germanica? Maluit igitur Doctor optimus, ad utilitatem
discientium sacras literas, partem saltem versionis Latinae,
sed emendatam, edere, quam integram Vulgatam, eam-
que corruptam & mutilatam, retinere. Interim Vulga-
tam non plane abiicit, sed fundamenti quasi loco posuit;
eam vero, praesertim in libris Mosaicis, ita saepius inter-
polauit & correxit, vt aliam plane faciem induerit, imo, vt
noua propemodum translatio sit enata. Quae ex Auctoris
ipsum praefatione facile intelliges, cuius partem dabimus.
*Cum ante sexennium nulla extarent emendata Biblia, versarenturque in manibus
studiosorum sacri codices neuiquam religiose tractati a chalcographis, saepe rogati
sumus, vt emendationem eorum susciperemus. Neque vero dissimulari poterat, mul-
tos locos deprauatos, quosdam etiam mutilatos esse, ad haec ubique membra sen-
tentiarum ita confusa esse, vt alicubi certa sententia nulla colligi posset.* Et post
alia. *Sed cum ita deformatus esset Moses, vt non posset emendari, nisi collatus ad
Ebraicam lectionem, praesertim cum deessent nobis antiqui codices, hic obiter inter
conferendum animadvertimus, interdum etiam interpretem non satis oculatum
fuisse. Quare paulatim creuit labor, & cum interpretatio plerisque locis mutanda
esset, noua propemodum translatio nata est, vt per omnia responderet Latina lectio
Ebraeae.* Vt vero melius appareat, quid Megalander noster
praestiterit in adornanda hac versione, ex quatuor prio-
ribus Geneseos capitibus loca recensebimus, quae corre-
xit & restituit, mutauitque & emendauit. Contulimus
enim versionem ipsius cum Vulgata, sed correctiori, quae
Lugduni 1546. excusa est; & plura tamen, quam quin-
quaginta loca in capitibus quatuor deprehendimus, in
quibus Lutherus ab hac discedit. Recensebimus ista: sed
quod dum faciemus, veremur, ne obscuriora nonnun-
quam videantur, quae monebimus, quod verba Hebraica,
vbi opus erit, addere non poterimus: typographus enim
sufficientem literarum Ebraearum copiam non habet.

Ve-

Veniam igitur dabis, Lector beneuole; nos vero operam dabimus, vt eo facilius de singulis possis iudicium ferre: loca enim omnia in certas classes describemus. Ad primam referemus ea, quae per mutationem emendauit; sed illis ferme praetermissis, in quibus mutationem fecit exiguam, qualia sunt: Gen. I. 5. 8, ubi pro: *factum est vespero*, posuit: *erat vespera*. Gen. II. 7. Vulgata habet *de limo terrae*; Lutherus *de puluere terrae*. Gen. III. 14. vocem *terram* etiam cum voce *puluerem* permutauit. Genesios vero III. 23. in verbis: *emisit eum*, loco pronominis, quod etiam textus Hebraeus poscit, per errorem typographi particula *enim* posita videtur.

Maiorem interpretis boni laudem ex aliis, licet minoribus etiam, consecutus est, quae mutauit, vt idiotismos vtriusque linguae melius doceret cultores litterarum sacrarum, (quippe in quorum vsum hanc versionem potissimum adornauit,) & ita sensum etiam efficeret planiorem. Maxime enim necessarium est, inquit Anton. Borremansius *in Lib. Variar. Lection. p. 118*: vt idiomata idiomatibus vertantur; quod neglectum obscuritatis plurimum parit, adeo vt, quid dicatur, saepe non intelligas. Optime istud nouit Lutherus, & vti in versione Germanica maxime obseruauit, ita in Latina etiam non neglexit. Quare Genes. I. 2., verba, quae in Vulgata leguntur: *super facio abyssi*, melius vertit: *super abyssum*. vid. Glassii *Gram. S. Lib. III. Tr. I. can. 38*. Gen. I. 6. antiquae versionis verba, *in medio aquarum*, reddidit melius: *inter aquas*. vid. Glass. c. I. p. m. 149. Gen. I. 26. Ista Vulgatae: *ad imaginem & similitudinem nostram*, rectius transtulit: *ad imaginem similem nobis*. Consule Glass.

c. I.

*Gen. II. 26. Verborum, erunt duo in carne una, melior est versio, quam habet Lutherus: erunt duo una caro. vid. Glass. c. I. Tr. III. can. 42. Gen. III. 9. obscura est versio Hieronymi: abscondit se in medio ligni paradisi; clara autem Lutheri: abscondit se inter arbores paradisi. Conf. Glass. Lib. III. Tr. I. can. 22. & 38. Gen. III. 16. sensum bene expressit Lutherus: multiplicabo aerumnas tuas, cum gravida eris; male Hieronymus: multiplicabo aerumnas tuas & conceptus tuos. Multiplicatio enim conceptus non inter maledictionem est reputanda, sed benedictionem. Conf. Danz. Interp. §. 194. II. & Glass. c. I. can. 42, Pari iure, parique cum laude mutavit & emendavit Lutherus nonnulla, in quibus significationes vocum sensumque textus authentici vetus interpret male vertit, immo plane peruertit. Gen. enim capituli II. versum I. Vulgatae autor, secutus interpretes Graecos, (qui habent ὁ κόσμος,) ita transtulit: *Perfecti sunt coeli & terra, & omnis ornatus eorum.* Verum Hebraea vox non *ornatum*, sed, uti Lutherus vertit, *exercitum* significat. Ita Lutherus etiam Gen. II. 4. recte expressit vocem Hebraicam: *Vapor ascendebat; Vulgatus autem, a Graecis iterum (qui ὄρη δὲ ἀνέβησαν vertunt,) seductus, reddidit: Fons ascendebat.* Gen. II. 8. bis impegit antiquus interpret, cuius haec sunt verba: *Plantauerat paradysum voluptatis a principio.* Quae Lutherus ita correxit: *plantauerat paradysum in Eden versus orientem.* Quam vocem *Eden* iste ubique per appellativum, hic vero melius per nomen proprium exponit. Gen. II. 18. & 20. legitur: *adiutorium simile sui; melius vero respondet verbis Hebraicis versio Lutheri: adiutorium, quod coram eo sit.* Vulgatae*

)(

rae verba vltima versus 21: *repleuit carnem pro ea*, non aequè
respondent Hebraicis, ac verba Megalandri: *clausit locum*
carnis. Gen. III. 6. Vulgata nimium aberrat a vera vocis
significatione, quando vertit: *aspectuque delectabile*. Errantem
correxerit Lutherus: & *delectabile, quia prudenter faceret*. Gen. III. 15.
Lutherus famosum errorem Vulgatae emendauit, pro
ipsa restituendo *ipsum*: in Hebraicis enim adest pronomen
nobilioris, non sequioris generis, quod ad Messiam
non ad Mariam vel Ecclesiam, vti volunt Pontificii
referri debet. De qua controuersia in Pfeifferi Dubiis
vexatis, & in aliis Autoribus, quos ille longo ordine
recenset, plura inuenies. Sed error errorem comitatur
in eodem enim versu vetus interpres verbum Hebrai-
cum, quod *conterendi* significationem habet, per *insidiam*
transtulit; Noster autem melius per *mordere*. In versu 17
male iterum cum Graecis errauit Vulgata: isti enim ha-
bent: *ἐπιμαρτύρωτος ἢ ὑπὲρ τῆς ἐργασίας σου*. haec: *maledicta sit terra in operi-*
tuo. Bene cum Hebraeis Lutherus reddidit: *maledicta sit*
terra propter te. Gen. IV. 12. Verba veteris interpretis: *cum opera-*
tus fueris eam, non dabit fructus suos, noster ita ad textum He-
braicum emendauit: *cum operatus fueris terram, non*
dabit vires suas. Gen. IV. 26. verba Vulgatae: *iste coepit in-*
vocare, Lutherus ita correxit ex Hebraicis: *Tunc coeptum est in-*
uocari. Huc etiam referendus est, quam ferme praeter-
miseram, locus Gen. I. 5. vbi, si sensum spectes, Luthe-
rus melius vertit: *erat dies primus*, quam autor Vulgatae
qui reddidit, *dies vnus*: quamquam vox Hebraica vtram-
que admittit significationem.

Sec

Sed adhuc alia sunt, quae Megalander noster in ver-
sione Vulgata mutauit; sed nonnulla ita sunt compa-
rata, vt neutri calculum addere possimus; utriusque
igitur sententias potius recensebimus tantum, quam sub
examen vocabimus, quippe quod nec temporis nec
chartae angustia permittit. Gen. I. ii. Vulgatae autor
transtulit: *germinet terra herbam virentem*, Lutherus, si eius ver-
sionem ad accentus, qui veri sensus sunt indices, exa-
minemus, melius reddidit: *germinet terra gramen, & herbam &c.*
Gen. II. 23. Vulgata habet: *hoc nunc os*; Lutherus: *hoc tandem os*.
Gen. III. 1. antiquus interpres vertit: *Cur praecepit*; nouus;
scilicet praecepit. Gen. III. 8. difficilem locum Hieronymus
ita interpretatus est; *ad auram post meridiem &c.* Luherus vero;
post aestum diei. Breuem, sed meliorem, huius loci inter-
pretationem inuenies in celeberrimi Danzii Interprete
Ebraeo-Chaldaeo, pag. 97. & 98. In vexatissimo loco, qui
Gen. IV. i. occurrit, nostri interpretes iterum dissident
inter se atque discordant. Vulgatus enim interpretatus
est: *Acquisiui hominem per Deum*; Lutherus autem; *Acquisiui homi-
nem Dei*; sed melius in Germanica Versione: *Ich habe den
Mann/ den HErrn*. Quam veram quoque interpreta-
tionem, praeter alios, B. Opitius in peculiari tractatu
de votina Euae exclamatione egregie defendit, maximis argu-
menti atque testimonii corroboratam. Nec minori
difficultate laborat versus 7. cap. IV. Gen. Vulgata ha-
bet: *Nonne, si bene egeris, recipies*; *si autem male, statim in foribus peccatum*
aderit. Lutherus ita; *Nonne, si bene egeris, erit oblatio*; *sin autem male,*
peccatum quiescit, donec reueletur. Quae Latina Lutheri versio sen-
sum

sum Germanicae suae magis perspicuum reddit. Plures
vero aliorum opiniones apud Polum & Pfeifferum ad
h.l. inuenies, quos consulas & optimam eligas. Gen. IV. 15.
ab his Vulgatae verbis: *sed omnis, qui occiderit*, parum differt
Martinus noster, qui vertit: *imo omnis, qui occiderit*: sed ab
utroq; alii dissentiunt. Gen. IV. 22. in antiquiori Latina
legimus: *qui fuit malleator & faber in cuncta opera aeris & ferri*. Quae
Lutherus melius quidem transtulit: *qui fuit faber in omni artificio
aeris & ferri*; sed si verba Hebraica consulueris, in vtriusque
versione nonnihil desiderabis, licet, si sensum spectes,
vtraque possit excusari.

Progrediemur ad alteram classem, quae ex iisdem
quatuor capitibus loca dabit, in quibus Lutherus ex fon-
tibus ea reddit, quae Vulgata praetermisit. Ita enim
Gen. I. 20. verbum *volare*, a Vulgata praetermissum, re-
stituit per Participium: *producant aquae reptile animae viuentis, &
volatile volans super terram &c.* In qua versione propius ad sen-
sum codicis Hebraei accedit, quam in Germanica: vti
laudatus Krafft. in Prodomo suo §. 10. etiam obserua-
uit. Sed melius vertisset, si pro Participio Futurum,
quod Hebraeus etiam habet, vel Modum Potentialem,
vti in scholis loquimur, adhibuisset. In versu sequente
vo pennatum ex fontibus versioni suae Lutherus addidit.
Gen. I. 26. voculam *omnem*, & §. 30. voces *omnem herbam viren-
tem*, a Vulgata neglectas, Lutherus obseruauit. Gen. II. 3.
nomen, *Deus*, & Gen. III. 22. nomina, *Dominus Deus*, in an-
tiqua versione desiderantur; non vero in recentiori Lu-
theri. E contrario Interpres noster vt sensui maiorem

lu-

lucem accenderet, Gen. II. 2. vocem, *omne*, & Gen. III. 10. & II. vocem, *Dominis*, inseruit, licet nec in Vulgata, nec in textu Hebraico, reperiantur.

Ad ultimam nunc classem venimus, quae loca exhibet, in quibus ea, quae contra codicis Hebraici auctoritatem Vulgatae sunt inserta, instaurator religionis nostrae merito eiecit, cum illam instauraret; vel potius nouam conderet versionem. Ante vero, quam ea proferamus, de versu 14. Capitis II. Gen. annotabimus, in Latina versione Lutheri verba illa: *ipse vadit contra Assyrios*, vel, *ad orientem Assyriae*, nescio, quo casu, esse praetermissa; quae tamen leguntur in Hebraicis, in Vulgata, vt & Germanica Lutheri versione eiusque Commentario in Genesin. E contrario iure meritoque Megalander noster Gen. I. 29. omisit Vulgatae voces: *generis sui*. Gen. III. 8. in Vulgata legitur insertum *et post meridiem*; sed sine causa: quare Lutherus expunxit. Gen. IV. 8. Hieronymus, vel quisquis autor sit Vulgatae, *communem* cum Graecis, Syro, Samaritano, aliisque interpretibus, errorem errauit, & inseruit, quod in Hebraicis non reperitur, ipsum Caini *alloquium*: *egrediamur foras*. Sed hoc additamento facile carere potuit Lutherus, qui verbum Hebraicum *וַיִּשְׁרַח* per *loqui* interpretatur, vt ita verborum sensus opportunus proueniat ac plenus: *Et loquebatur Cain cum fratre suo: Et fiebat, cum essent in agro &c.* Frustra igitur sunt Pontificii, qui hic lacunam faciunt, vt integritatem codicis Hebraici suspectam reddant, imo corruptam. Morino igitur jam dudum Hottingerus, Cappello Buxtorffius, ipsique Grotio Calouius,

&

& aliis alii satis superque responderunt. De Piska Ma-
foretico, quod hoc loco occurrit, & occasionem quo-
que huic controuersiae dedit, legi potest Buxtorffius
*in Tiber. pag. 280. Glassius in Phil. S. p. 65. Weimarus in Doctr. Accen-
tuat. Heb. p. 104. & sqq.* Ita & ipse Lutherus in Comment. ad
Genes. IV. 7. reprehendit Hieronymum, quod ad Sub-
stantiuum *peccatum* proprio ausu Adiectiuum *tuum* addide-
rit. In nostra quidem Vulgatae editione hoc addita-
mentum non deprehendimus; sed ipsa, vti supra admo-
nuimus, est emendatior. Multo igitur maiorem errorum
emendatorum messem facere potuissemus, si vnum de e-
iusmodi corruptis Vulgatae codicibus ad manus habuis-
semus, de quibus B. Lutherus in ea praefationis parte,
quam supra dedimus, nimium conquestus est. Vera sane
deprehendimus esse, quae ibidem vir beatus asseruit, no-
uam nempe propemodum translationem enatam esse,
cum vetus interpretatio plerisque locis fuisset mutanda.

Ex iis igitur, quae attulimus, facile iudicare poteris,
L. B., de dignitate & praestantia huius versionis. Optan-
dum sane esset, vt quis sumtus daret ad illam recuden-
dam, praesertim cum laudatus Schamelius, qui plura
etiam iam iam annotauit, ex quibus liqueat, quid Archi-
theologus noster in hac versione praestiterit, in Obser-
uatione Miscell. Lips., quae supra commendauimus,
fidem dedit publicam, se rarum hoc opus publici iuris
esse facturum. Nos, qui seculari hoc festo, quo Deo
benignissimo pro omnibus beneficiis, quae in promo-
uendo opere Reformationis B. Luthero praestitit, gra-
ti-

rias, quas possumus, maximas decernimus, non possumus non, exemplo B. Bugenhagii excitati, publicas etiam gratias agere pro ea gratia, quam Instauratori purioris Religionis exhibuit in Diuino ipsius Verbo per versionem Bibliorum Germanicam, addimus nos & Latinam, promulgando. Seruet nobis benignissimus Deus immensum Verbi sui thesaurum, per versiones etiam nobis exhibitum; faxitque clementissime, vt, quoties sanctum ipsius codicem euoluamus, (euoluamus autem diurna & nocturna manu,) nunquam a lectione ipsius, nisi meliores, recedamus.

Gratias postquam Deo, praeter alia, pro versione quoque sacri codicis cum Bugenhagio peregimus: Patronos nunc & Fautores cum eodem ad conuiuium inuitamus, in quo vero non cibi corporis, sed animi apponentur. Nos Christiani enim festa nostra, non promovere gentilium inter competationes & concoenationes ludosque, sed inter preces & pias orationes celebramus. Postquam igitur Ecclesia Reformationis suae festum seculari inter hymnos & sermones sacros per tres ferias transiegit: Schola etiam nostra idem inter odas & orationes non profanas agitabit. Vt autem ii, qui informationi & fidei nostrae sunt commissi, de maximo Reformationis beneficio melius erudiantur, de causis ipsius nostros oratores, vel potius oratoriae tirores, verba facere iussimus, quia, docente Poeta, is demum recte sapit, & felix est, qui potuit rerum cognoscere causas.

Pri-

40 2075 31 336 2675
Primus ex iis, qui in rostra scholae nostrae prodibunt, est *PAVLVS HEINRICVS SORGIVS*, *Gotha-Thuringus*, qui eos in bonis literis profectus facit, vt spem honoratissimorum Parentum de se conceptam implere videatur. Orationem ipse Latinam habebit de **veris causis Reformationis** Euangelicae, per Lutherum in Ecclesia factae. Alter vero erit *IACOBVS CHRISTIANVS GEVSSEN. HAINERVVS*, *Roda-Thuringus*, ob mores emendatos & diligentiam non exiguam nobis charissimus, **falsas causas & criminationes**, contra sanctum Reformationis opus ab aduersariis oblatas, in sermone Latino depellet, tandemque carmine Elegiaco pro emendatione & conseruatione Religionis DEO optimo gratias aget, &, vt sibi eandem vltcrius habeat commendatam, pias preces fundet.

Hic igitur **Actus Oratorius** cum talis sit, qualis nunquam a nobis est indictus, ~~nee~~ **indicetur** in posterum, nempe secularis: non dubitamus, quin **Patroni** honoratissimi **Fautoresque** aestumatissimi, multis etiam precibus rogati, frequentes adfuturi sint, auresque beneuolas Oratoribus nostris benigne daturi. Ipsos enim si non dicentium autoritas aut orationum dignitas, vt veniant, sollicitabit; festi tamen celebritas pietasque Religionis, vt benigne compareant, excitabit. Quare crastino, DEO dante, die, hora IX antemeridiana, exoptatissimam Auditorum honoratissimorum frequentiam expectamus; fauorem autem tam eximium, quem festo seculari nobis exhibebunt, nos nullo non tempore grati celebrabimus, &, quantum in viribus nostris erit positum, demereri nunquam intermitteremus. P. P. Numburgi, Non. Nouembr. M DCC XVII.





B.I.G.

Farbkarte #13

*a Bibliothecam versione
Lutherum facta.*

Yd
2673

M ORATORIVM
ALTERI
O SECVLARI
RMATIONIS
A DEO
THERVM FACTAE
SACRVM
NDICIT
ET
EVOLE AVDIENDVM
A PAR EST RATIONE
INVITAT
RISTOPHORVS BLOSSIVS
S. N. S. R.

NUMBVRGI,
ARIS BOSSEGELII, Typogr. Privileg.

